

aliisque remediis resistentium. Sic copia ichoris ejusque motus pravus indicat, ut evacuetur, revellatur vel derivetur. Hoc autem præstat vesicatorium, quod sensibilibiter evacuat, modò loco affecto ipsi, modò procul ab ipsò vel superiùs, vel inferiùs adplicandum.

Circa applicationem cauteriorum tum actualium, tum potentialium, monet *J. C. Claudinus de ingressu ad infirmos l. 2. c. 7.* ne parti alicui vel dolore, vel tumore, vel aliò affectu laboranti adplicentur, nisi pervicax maximè & inveteratus sit morbus. Sic *ulcerata pars* non admittit vesicatorium; *Ulcus* enim impedit cauterii illius applicationem. Nec *morbis acutis tentatæ* partes, nec cartilagineæ, nec carne spoliata, ferunt vesicantia: Neque regioni *pulmonum*, ulcere affectorum, cum his ulcera efferantur, applicanda, teste *Jonst. Synt. med. pract. p. 2. l. 3. t. 2. c. 3. art. 5.* Similiter etiam non conferre vesicantia *biliosis*, quòd calor accendatur, ut in febribus cum humorum copiâ, licet aliqua fiat materiæ attractio; neque *iis, qui graviter decumbant* nullâ cum spe; neque *sanguineis*; sed solum *pituitosis & melancholicis*, longâ medicorum observatione edoctus, statuit *Rhodus in Septaliis.*

Circumspectè omninò debet se gerere medicus hâc in re, rationemque cum experienciâ conjungere, ne plus obsit, quàm profit.

Conveniunt vesicatoria omnibus ætatibus, infantibus, juvenibus, viris atque senibus, modò partes corporis, quibus adplicari debent, sanæ sint ac robustæ, quæ perferre eadem valeant, teste *I. C. Claud. l. c.*

*Habitus corporis mediocris & carnosus*, non præpinguis, neque macilentus, vesicatorium suadet. Hinc in segnioribus, ubi carnea moles, utile remedium; in calidis autem & siccis affectionibus, his ego non utor, inquit *Actius.*

## CAPUT V

### materias vesicantium examinat.

**V**esicantium materiam tria naturæ familiaria suppeditant regna, quorum alia calore sibi *innatò*, alia *acquisitò* per putredinem, trahunt, ex mente *Averrois 9. colliget. c. 18.* Ejusd. sententia